



Gr. c B. 53

Alteu. Sammelbd!

Philosoph. Teil  
B. 47.



7  
26  
LECTIONES NONNVLLAS  
CODICIS GRAECI  
VETERIS TESTAMENTI

QVI

IN BIBLIOTHECA S. MARCI VENETIIS ASSERVATVR  
RE CENSET

SIMVL AD

EXERCITATIONEM ORATORIAM

D. XXVII SEPT. A. R. S. MDCCCLXXV. HORA A MER. II.

IN AVDITORIO MAIORI

ILLVSTRIS GYMNASII QVEDLINBVRGENSIS

HABENDAM

OMNES OPTIMARVM ARTIVM FAVTORES

ATQVE AMICOS

HVMANISSIME INVITAT

FRIDERICVS ANDREAS STROTH

GYMNASII RECTOR.

---

HALAE SAXONVM

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII

*S. V. Gilletto*



7

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
SAXONY-ANHALT  
MAGDEBURG  
COPIED FROM  
THE ORIGINAL  
BY THE  
UNIVERSITY OF  
SAXONY-ANHALT  
MAGDEBURG  
LIBRARY







**S**i vnquam recte illud dictum est, artem non habere osorem nisi illum qui eam non intelligit; certe cum eos adspicio, qui, licet sibi nimium ipsi sapere doctissimique esse videntur, indocto tamen clamore & parum sapienti studio criticam artem, cuius ne prima quidem vnquam didicerint rudimenta, damnare conantur, rectissime dictum esse satis intelligo. Attamen quem admodum iam veteres dixerunt :

Ἄσι κολοῖός παρὰ κολοῖόν ἰζάνει a)

& τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύημακι δὲ μύημαξ

"Ἰσημις δὲ ἰσηξιν b)

καὶ γὰρ ἡ κύων κυνὶ

Κάλλισον εἶμεν Φαίνετο, καὶ βῆς βοῖ

"Ὀνος τ' ὄνω κάλλισον, ὅς δὲ τῶ σὺλ' c)

Sic quoque huiusmodi homines inuenire semper permultos qui inanem & futilem eorum operam, planeque illiberale studium multis verbis quasi prae-

a) *Aristot. magn. moral. Lib. II. c. 11. cf. Eudem. L. VII. c. 1.*

b) *Theocrit. id. IX. v. 31. 32.*

c) *Epicarmus ap. Diogen. Laërt. Lib. III.*



praeclare facta collaudent, praedicent, & ad coelum vsque extollant, noui cuiusdam hominis, terrae filii, exemplum aperte demonstrat. Sed iactet se hic τῶν ἐτέρων κολοιῶν ad sensu, contemnat aliter sentientes tanquam paruulos aduersariolos, quorum sententio lae non sint audiendae, (vt ipse loquitur, admiratus fastigium illud, ad quod praeter omnem expectationem suam a suis gregalibus euectus est) damnet omne varias lectiones conquirendi studium, fremant omnes licet, dicam quod sentio. Nam quis est, qui non vituperandum quammaximè censeat eum iudicem, qui in causa difficillima, in qua de facto quopiam quaeritur, vtrum sic an aliter factum, vnicum modo testem audire vellet, reliquos autem, quoniam non iisdem verbis factum referunt, negligeret, contemneret, reiiceret; cui satius & antiquius esset, amplecti vna cum veritate errorem, quoniam id non multa vel potius nulla adhibita cura & diligentia fieri potest, quam iis quae a pluribus dicuntur summo studio inter se comparatis, veritatem inde discreto errore eruere? Quis autem non intelligit, eandem rationem eorum esse qui in scriptis Veterum siue profanis siue sacris emendandis, pristinaeque integritati restituendis versantur? Quot enim horum adsunt libri manuscripti, tot habemus testes eorum quae ab auctore perscripta sunt. Omnes igitur audiendi sunt, omnium testimonium examinandum, modo huius modo illius alteri praefarendum, prout quisque horum ad veritatem proxime accedit: nisi sint qui putent libro huic vel alteri propterea maiorem esse fidem tribuendam, quoniam sorte quadam STEPHANO, XIMENIO, ALDO, CARAFFAE, BOMBERGIO, BVXTORFIO aut aliis editoribus, prius obuius factus sit, illis qui tam adhuc laterent & procedente demum tempore doctis innotescerent. Quam inepta omnisque rationis expers horum sententia foret, nunc non dicam; id affirmo, si, quemadmodum SOCRATES d) dixit, τέκτονι μηδεὶς θελεὶ κερχῆσαι κωμμεντῶ. μηδ' αὐλητῆ, me multo minus amare lectionem sorte delectam. Et quemadmodum olim ERASMVS indoctis quibusdam, qui dicerent non opus esse facundia, respondit: nec opus esse barbarismis & soloecismis, sic iis, qui reiectis criticorum studiis, non opus esse variantibus lectionibus putant, eodem modo, non opus esse recepta lectione, respondendum censeo. Praeclare iam suo tempore LVDOLPHVS RVSTERVS e) vir doctissimus & de omni re literaria optime meritis horum ineptias refellit & arguit: „Non illos quicquam inquit moror, qui omnem Criticam, tanquam non inutilem solum, sed

d) Xenoph. M. S. L. I. c. 2.

e) in praef. ad N. T. Millii ab init.



sed etiam periculi plenam, a S. Scriptura remouendam censent: qui quidem homines quid sibi velint, ipsi ignorare videntur, neque satis animaduertere, quam facile copiae illorum in angustum cogi possint. Quid enim? an negabunt dari variantes lectiones Noui Testamenti? an vero adfirmabunt, primos editores N. T. & inter eos praecipue ROBERTVM STEPHANVM (cuius editio prae aliis recepta est) diuino afflatu & instinctu praeditos fuisse, ne in dissensione Codicum Mss. quos ad manum habebant, a vero textu apostolico vnquam aberrarent? Equidem & verecundioris frontis & sanioris iudicii eos fore existimo, quam vt vel illud negare, vel hoc affirmare aulint. „ Haec KVSTERVS; in cuius sententiam non solum lubentissime abeo, sed etiam summis laudibus efferendos puto summos istos viros, qui in hoc elaborauerunt, vt scripta S. codicis integra nobis restituerent, FELLIOS, WALTONOS, CVRCCELLAEOS, MILLIOS, KVSTEROS, BENGELIOS, WETSTENIOS, SEMLEROS, GRIESBACHIOS, CAPPELLOS, KENNICOTTOS, MICHAELIOS aliosque quorum diligentissima opera circa eandem rem versata est. Et quamquam non desint inuidiosi homines, qui illorum laudi aliquid detrahere, forsitan etiam in se ipsos deriuare & transferre cupiant, quoniam

*Ἦλος ἀνθρώποισιν οἰζυροῖσιν ἅπασιν*

*Δυσκέλαδος κακόχαρτος ὀμυρῆσει συγερῶτης. f)*

tamen illorum merita vigeant memoria seculorum omnium, eademque posteritas illa semper alet & vtroque pollice laudabit, quae quum sine amore & sine cupiditate & rursus sine odio & sine inuidia iudicabit, vt ait TVLLIVS, g) horum τὸ κρενοχυτρελήγειον contemnet & irridebit. Quanto autem magis illorum in textu Noui T. graeco & Veteris hebraico restituendo summa cura & diligentia laudanda est, eo etiam magis optandum videtur, vt versio graeca Veteris T. quae vulgo dicitur LXX. interpretum inueniret aliquando, qui ei similem curam adhibeat. Fatendum enim est, licet huius adsent editiones fere XXX, in quibus praestantissimae BOSII, GRABII & BREITINGERI, tamen parum haecenus circa eam factum esse, plurimumque restare, & nunc fere idem desiderari, quod olim a PEARSONO h) quum scriberet: „Quoniam haec seniorum versio etiam S. HIERONYMI tempore corrupta fuit atque violata, danda est opera, vt

A 2

ci

f) *Hesiod.* Op. & D. 195 sq.

g) Pro M. *Marcello* c. IX.

h) In praef. ad editionem τῶν ὀ Cantabr. quae verba excerptis quoque *Fabricius* in *Bibl. Gr.* L. III. c. 12. p. 329.



ei pristina puritas restitui & redintegrari possit. Certum est, exemplaria quae habemus, Complutense, Aldinum, Romanum, plurimum inter se & ab Alexandrino discrepare, alios etiam codices aliquarum S. Scripturae partium satis antiquos nunc cum eorum aliquo, nunc cum nullo convenire. Optime igitur fecerit, qui codices omnes Mss. cum editis diligenter contulerit, qui varias lectiones non tantum ad hebraicam veritatem examinaverit, sed cum antiquissimorum Iudaeorum PHILONIS & IOSEPHI & vetustissimorum Patrum scriptis comparaverit, ac denique expositiones eas, quae apud Lexicographos scripturarios etiamnum exstant, vel potius delitescunt, inspexerit, atque ita nobis editionem LXX. maxime puram adnauerit. Quale opus vtinam aliquando vir doctissimus IS. VOSSIVS, qui optime potest, perficeret, ederetque., Potissimum autem dolendum est, P. P. graecorum scripta nondum satis peruestigata, nec quae ab illis exhibentur e versione τῶν LXX. quantum fieri potuisset notata esse. Quare mecum constitui, quod si Deus vitam & otium permiserit, conferre quantum poterō omni cura atque diligentia istorum P. P. scripta cum inter se, tum etiam cum editis, & hoc modo futuro olim τῶν LXX. editori adparatum quendam comparare haud contemnendum. Maior interim diligentia quoque adhibenda est, in disquirendis codicibus Mss. cui negotio alter vt nasceretur WETSTENIVS & KENNICOTTVS in votis erit. Adest enim horum numerus haud exiguus in clarissimis quamplurimis bibliothecis dispersus, qui vel neutiquam peruestigati, vel certe negligenter modo inspecti sunt.

In praestantissima divi Marci Bibliotheca, quae Venetiis est, VI. reperies codices Mss. versionis τῶν LXX. quorum primus praesertim sat antiquus esse videtur, cuius variantium lectionum farraginem haud spernendam exhibuerunt ZANETTUS & BONGIOVANNVS in Bibliotheca graeca S. Marci, seu Indice graecorum codd. qui sunt in ista Bibliotheca, quorumque numerus DCXXV. est. Quum vero sperari haud facile possit, istius indicis, in Germania magnam copiam esse, eumque in multorum manibus versari, haud ingratum me multis facturum putavi, si ex eo illum quem dixi codicem narratione mea illustrarem, efficeremque vt etiam aliis innotescat. Priusquam autem ad id veniam, quod est proprium narrationi meae, pauca mihi de reliquis graecorum bibliorum codicibus, in clarissima illa bibliotheca obuiis, dicenda erunt. Cod. V. & VI, in folio seculi XV, quorum ille membranaceus foliorum 443, hic partim membranaceus partim



tim chartaceus foliorum 431, omnes Vet. Test. libros complectuntur, nisi quod in posteriori desit Prophetia Danielis <sup>i)</sup> & ex apocryphis libri Maccabaeorum: exhibet praeterea vterque etiam libros N. T. Cod. IV. in folio, membranaceus, foliorum 402, perhibetur esse Seculi XI. Continet autem Pentateuchum, cum libris Iosuae, Iudicum, Ruth, Regum IV, Paralipomenon, Esdrae I. & II, Maccabaeorum I-III. addito FL. IOSEPHI libro in Maccab. libroque Esther in fine mutilo. Cod. III. in folio, membranaceus, foliorum 335, qui dicitur esse Seculi X. exhibet eodem libros, qui in Cod. IV. inveniuntur, exceptis Maccabaeorum libris cum illis qui in superiori eos excipiebant. Codex denique II. in folio minori, membranaceus, foliorum 227, seculi X. sistit Pentateuchum excepto Numerorum libro, praeterea autem libros Iosuae, Iudicum, Ruth & II. priores Regum siue Samuelis: adduntur in fine Maccabaeorum Libri II, in chartaceis foliis recentiori manu descripti. Omittam nonnullos alios singulorum librorum, qui sibi iunctas habent Catenas, in quorum nonnullis inveniuntur lectiones reliquorum interpretum a MONTEFALCONIO non notatae. Sed adest praeterea codex ordine septimus, dignus qui euoluatur diligentissime, qui utinam typis mandaretur: exhibet enim versionem plane nouam, necdum diuulgatam, de qua nescio an multis nota sit. Ipse codex oblonga forma quaternis membranaceus est, foliorum 302, textus in lectiones, iuxta hebraeorum sabbata diuisus est, & ipsum hebraeorum loquendi genus in ea versione non solum ex parte seruatum, vti ex specimine mox exhibendo patebit, minus inepte tamen ac in AQUILAE versione, neque penitus neglecta graeci sermonis elegantia, sed verba etiam a dextra in sinistram hebraeorum more ordinata sunt, caractere caeteroquin recentiori, & vt ait ZANETTUS, non obuio exarata, quem si aere excudi curassent editores, optime fecissent. Exstant autem in hoc codice e libris V. T. qui sequuntur: Pentateuchus, Prouerbia, Ruth, Canticum, Ecclesiastes, Lamentationes Ieremiae, vna cum Prophetia Danielis. Specimen ex initio Geneftsos exhibitum, hoc est: Ἐν ἀρχῇ ἐκτίσεν ὁ Θεὸς τὸν ἔρανον καὶ τὴν γῆν, <sup>k)</sup> ἢ γῆ δ' ὑπῆρξε σέξησις κενόν τε, σκότος τ' ἐπὶ προσώπου τῆς ἀβύσσου, καὶ πνεῦμα Θεοῦ ἵπτατο κατὰ πρόσωπον τοῦ ὕδα-

A 3

i) Notissimum est, hanc in plurimis libris deesse, in aliis autem exstare ex versione *Theodorionis*

k) *Symmachus* & *Theodorion* vt noster, *Aquila* vero ἐν κεφαλῶν ἐκτίσεν ὁ Θεὸς σὺν τὸν ἔρανον καὶ σὺν τὴν γῆν.



ὑδάτος. 1) Ἐφη γὰρ ὁ Θεὸς ὑπαρξάτω Φῶς, καὶ ὑπῆρξε Φῶς. 11)  
 ἠθροσε δ' ὁ Θεὸς τὸ Φῶς ὅτι χροσόν, καὶ διέσειλεν ὁ Θεὸς ἀνὰ τὸ Φῶς  
 ἀνάτε τὸ σκότος, 12) καὶ ἐκάλεσεν ὁ Θεὸς τὸ Φῶς ἡμέραν, τὸ δὲ σκότος  
 ἐκάλεσε νύκτα. 13) Quis est, qui non primo quasi adspēctū, quantum qui-  
 dem iudicari potest ex ista particula, videat, hanc versionem, quantum  
 ad graecum sermonem, caeteris esse longe elegantiore? Licet enim he-  
 braica locutio cum in substantiuis nominibus *σέρεσις κενόν τε*, tum in προ-  
 σώπῃ voce seruata esse videatur, tamen ἑλληνικῶς & eleganter quoque le-  
 guntur voces ὑπάρχειν, χροσόν, ἀθροεῖν, ἔφη γὰρ. ἵπτατο κατὰ προ &  
 adiecta frequenter particula τε. Iam non afferam, multas ex his vocibus,  
 e. gr. *σέρεσις, γέν. ἀθροεῖν* neque in Vet. neque in Nouo Test. obuias esse;  
 neque de eleganti vsu vocis *χροσόν*, aut aliarum aliquid dicam, ne μικρο-  
 λογεῖν & lectori quasi praemanfium in os inferere videar, pauca modo de  
 verbo ἀθροεῖν dicam, quod elegantissime ab interprete adhibitum puto.  
 Etenim ἀθροεῖν, vocabulum cum Homero tum praecipue Atticis, ISO-  
 CRATI, ARISTOPHANI, PLATONI, XENOPHONTI admodum  
 familiare, non merum *videre*, sed potius *mente videre*, seu *considerare* &  
*penitus perspicere* significat, ita vt modo idem sit ac *σκοπεῖν*, modo huic  
 iungatur. Sic legimus apud PLATONEM P) ἐκ τέτων δὴ ἀθροεῖ πότερον  
 κακῶς τινὸς ποιῆμεν, & apud ISOCRATEM εἴ τις ἀθροεῖται καὶ σκέψαι-  
 το τὰς τῶν ἄλλων συμφορὰς, & a SVIDA sic explicatur: ἀθροεῖν, τὸ  
 περισκοπεῖν, καὶ μετ' ἐπιτάσεως ὄραν. Subiungit idem: παραδειγμάτων  
 δε

- 1) Aqu. ἡ δὲ γῆ ἦν κενόν καὶ εἰδέν. καὶ σκότος ἐπὶ πρόσωπον ἀβύσσο, καὶ πνεῦμα Θεοῦ ἐπιφερόμενον ἐπὶ πρόσωπον ὑδάτων. Sym. ἡ δὲ γῆ ἐγένετο ἀρχὸν καὶ ἀδιάκριτον, καὶ σκότος ἐπέκειτο ἐπὶ πρόσωπον τοῦ ἀβύσσο, καὶ πνεῦμα κ. τ. λ. vt Aqu. Theod. ἡ δὲ γῆ ἦν κενόν καὶ εἰδέν, καὶ σκότος ἐπὶ πρόσωπον ἀβύσσο, κ. π. Θ. ε. ε. περὶ τῶν τῶν ὑδάτων.
- m) Aqu. καὶ εἶπεν ὁ Θεὸς, γενέσθω Φῶς, καὶ ἐγένετο Φ. Sym. κ. ε. ὁ Θ. εἶπεν Φ. κ. ε. Φ. Theod. κ. ε. ὁ Θ. γενήσθω Φ. κ. ε. Φ.
- n) Aqu. καὶ συνείδεν ὁ Θεὸς σὺν τῷ Φῶς, ὅτι καλόν, καὶ διεχώρισεν ὁ Θεὸς μετὰ τῷ Φωτός, καὶ μετὰ τῷ σκότος. Sym. καὶ εἶδεν ὁ Θ. τὸ Φῶς, ὁ κ. καὶ διεσειλεν ὁ Θ. κ. τ. λ. vt A. Theod. καὶ ε. ὁ Θ. τ. Φ. ὁ κ. καὶ διεχώρισεν ὁ Θ. ἀνὰ μέσον τῷ Φωτός καὶ ἀνὰ μέσον τῷ σκότους.
- o) Aqu. Sym. & Theod. καὶ ἐκάλεσεν ὁ Θεὸς τῷ Φωτὶ ἡμέραν, (A. ἡμέρα) καὶ τὸ σκότος ἐκάλεσε νύκτα.
- p) in Critone c. XI. idem & in Gorgia dicit ἀθροεῖ μὴ εἶ τέτω ἢ τὸ ἀγαθόν. adeat qui plura cupit Henr. Stephani Thel. linguae gr.



δὲ πάντα μετὰ. Quis iam non videt de Deo multo rectius, id est elegantius dici, ὅτι ἤδησε, quam ὅτι εἶδε vel συνεῖδε? ex quo forsan concludi possit hanc versionem non tribuendam esse iudaeo, sed graeco homini, graece perinde ac hebraice docto. Subiunxi denique caeterorum interpretationem, quo facilius statim comparatio institui possit.

Sed iam ad institutum reuertor. Adest in clarissima illa quam diximus bibliotheca codex ordine primus, sat antiquus, (dicitur enim esse seculi VIII. aut IX.) membranaceus, in folio, literis maioribus exaratus, complectens folia CLXIV. Continet autem primum fragmentum libri Iob., incipiens sub initium capituli XXX. deinde Prouerbia, Ecclesiasten, Canticum, librum Sapientiae vna cum Ecclesiastico seu libro Siracidis. Tum sequuntur prophetae, & quidem primum ii, qui dicuntur minores, qui in codicibus plerumque antecedere solent maioribus, eo ordine, Hoseas, Amos, Ioel, Obadia &c. post hos maiores, Iesaias, Jeremias, Baruch, Lamentationes Ieremiae, Ezechiel & Daniel, adiecta Susannae, Belli & Draconis Historia. Tunc sequitur chronographion in compendio, ab Adamo ad Iustinianum imperatorem, & χρονογράφιον τῶν ἐτῶν τῶν ἀνδρώπων, in quo recensentur ab Adamo ad Noam singulorum anni, quibus genuerunt. Succedunt denique Tobiae, Iudith, & III Maccabaeorum libri, quibus superadditur FL. IOSEPHI liber de Maccabaeis, in codice inscriptus ΜΑΚΚΑΒΑΙΩΝ Δ. Iterum Chronographion subsequitur, sed diffusius ab Adamo ad Iustinianum imperatorem, incipit his verbis Γίνονται ἀπὸ Ἀδάμ μέχρι τῆ κατακλυσμῆς ἔτη βεμβ. Σὴν ἐτῶν εἴ. καὶ ἐγέννησεν τὸν Ἀρφαξάδ, Ἀρφαξάδ ἐτῶν εἴ. κ. τ. λ. In folio 163 crucis figura habetur, in qua leguntur verba Κυρία Βασίλειω μοναχῆ ἠγεμῆνα τ. . . . καρόντ . . . συγγραφάμενα τῇ βιβλῶ ταύτῃ ἀμήν. Sub cruce scriptum est: παρακαλῶ εὐχεσθαι ὑπὲρ Ὀνησίμω μοναχῆ ἀμαρτωλῆ καλλιγράφω. ἀμήν. Versae paginae inscripti sunt EVSEBII Canones in Euangelia, praemissa ad CARIANVM epistola, sine vlla inscriptione: ex quo forsan concludere quis posset, huic codici aliquando iunctum fuisse alium aut totius N. T. aut certe IV Euangeliorum. Constat 9) quidem in editione romana adhibitum esse codicem Card. BESSARIONIS, e bibliotheca S. Marci, vtrum autem hic noster fuerit, an alius, definiri vix potest. Prophetis in nostro praemissae sunt  
fin.

9) Conf. Fabricii Bibl. Gr. L. III. c. 12. p. 326.



singulis animaduersiones quaedam, instar argumenti, cuiusmodi in vaticinia Amos haec sunt:

ἐν τῷ Ἀμώς

α'. Ἡ μετὰ πάσας παιδείας ἐγκατάληψις τῆ Ἰσραὴλ εἰς τὸ ἐναντιῶσαι Θεῶν, τὰτ' ἔστιν χριστῶ, μετὰ λιμὸν, καὶ σπανισμὸν βρώσας, καὶ νόσους, καὶ καιμποβρωσίαν, καὶ φθορὰν, καὶ Σοδομιτικὴν ἀνατροπὴν, ἐφ' οἷς ἐκ ἐπετραφίσαν. Ἐπομένη δὲ τῇ ἐναντιώσει πτώσις ἀνεπανόρθωτος, καὶ ὀλίγων ὑπόλειψις, ἀπὸ τῆ: ἀπαγγεῖλατε ὅτι ταῦτα ἠγάπησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ, λέγει κύριος, ἕως τῆ: ὑπολειφθήσονται δέκα τῶ οἴκῳ Ἰσραὴλ.

β'. Πρόβῃσις ἐπικλισμῶ γῆς, ὃ καὶ ἐξῆς ἐπαναλαμβάνει πρὸ τῆ τετάρτης κεφαλῆς, ἀπὸ τῆ: καὶ ἐπὶ τέτοις ἐταραχθήσεται ἡ γῆ, ἕως τῆ: ὡς τῶ ποταμῶ Αἰγύπτου.

γ'. Σκοτασμός ἐπὶ μεσημβρία, καὶ μεταβολὴ ἐορτῶν εἰς πένθος, καὶ ἀφαιρέσις λόγου Θεῶ, ἃ γίνεται διὰ χριστὸν, ἀπὸ τῆ: καὶ ἔσται ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, λέγει κύριος ὁ Θεὸς, δύσεται ὁ ἥλιος μεσημβρίας, ἕως τῆ: περιδραμῆνται ζητῶντες τὸν λόγον Κυρίου, καὶ ἔ μὴ εὔρωσιν.

δ'. Ἐξαρσις πανηγῶν βασιλείων, καὶ ὑπόλειψις τῆ οἴκῳ Ἰσραὴλ, μετὰ σκεδασμὸν παγκόσμιον, ἀπὸ τῆ: ἰδὲ οἱ ὀφθαλμοὶ κυρίου τῆ Θεῶ ἐπὶ τὴν βασιλείαν τῶν ἀμαρτανῶν, ἕως τοῦ: ἰδὲ μὴ ἐπέλθῃ ἐφ' ἡμᾶς τὰ κακά.

ε'. Ἀνάστασις σκηνῆς Δαυὶδ, τῆς πεσέσης, καὶ κατὰσχέσις γῆς ἐθνῶν ὑπὸ τῆ Ἰσραὴλ, ἀπὸ τῆ: ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀναστήσω τὴν σκηνὴν Δαυὶδ, ἕως τῆ: λέγει κύριος ὁ ποιῶν ταῦτα.

ς'. Τέλος, διπλὴ καρποφορία γῆς, καὶ κατοικισμός τῆ Ἰσραὴλ ἐν τῇ γῇ αὐτῶν ἀμετακίνητος, καὶ τῶν ἠφανισμένων πόλεων ἀνοικοδόμησις, ἃ ἔσται διὰ χριστὸν ὑπερον, οὖν δὲ πνευματικῶς, ἀπὸ τῆ: ἰδὲ ἡμέρας ἐρχονται, λέγει κύριος, καὶ καταλείψεται ὁ ἀροτριῶν τὸν θέριζοντα, ἕως τῆ τέλους. Reliquum est vt ipsum codicis ingenium, quantum fieri potest,



potest, definiamus, in quo dolendum sane nobis est, carere nos praestantissima illa BREITINGERI editione, neque vlla haecenus ratione eandem nancisci potuisse, quae si adesset, melius & rectius sine dubio, cum de antiquitate & bonitate lectionum nostri codicis, tum etiam de earundem veritate iudicare possemus. Quare venia nobis petenda est, si non in omnibus rectissime iudicatum sit, neque dubium est, quin aequissimus & optimus quisque, quum vidisset, nos, quantum in ista librorum inopia fieri potest, fecisse, facile istam quam petimus veniam nobis daturus sit. Ac in limine quidem statim monendum est, codicem non ex eodem libro descriptum videri: certe alia est ratio in prophetis qui dicuntur minores, alia in maioribus; in illorum enim scriptis multa omittuntur, quod negligentiae esse videtur, pauca adduntur eaque iure non optimo; in horum vero libris paucissima omittuntur, plura adduntur neque semper iniuria, quod studii videri possit. Primo igitur loco mihi de lectionibus in prophetis minoribus obuiis dicendum erit; ita quidem vt primum vbi ex negligentia in codice nostro, vel librarii qui scripsit eum, vel antiquioris cuiusdam, omissa quaedam aut permutata sint demonstrarem, deinde vbi ex ingenio librarii addiderint vel permutarint definiam, denique vbi videantur recte addidisse omisisse aut mutasse ostendam. Negligentiam prodit librarius *Amos* 1, 6. vbi solus omisit τῆ συγκλειῖσαι, deceperat eum nimirum quod praecesserat τῆ σαλωμών, quod quum scripsisset, vidit iterum τῆ sequente σ, nimiumque festinans putavit esse vocem quam iam scripserat. *Mich.* 1, 13. omisit λαχῆς quod omnes agnoscunt, quia sequebatur Ἀρχηγῆς, quod certe haud paruae incuriae est. *Nab.* 1, 10. solus omittit αὐτῆ post Θεμελις, contra faciente *Compl.* quae pro Θεμελις habet Θεμελιων, & *Alex.* qui pro αὐτῆ ostendit αὐτῶν. Ex simili incuria abest αὐτῆ post ἀγγέλε *Mal.* 1, 1. quamquam enim in hebraeo non habetur, vbi est nomen propr. וְנִלְמָ, quod etiam reliqui interpretes vertendo retinuerunt, tamen mihi quidem nullum est dubium quin οἱ O verterint ἀγγέλε αὐτῆ, sic enim in omnibus libris legitur, consentiente ATHANASIO, \*) seu potius auctore synopsis illius, quae vulgo tribuitur ATHANASIO; legerunt nimirum וְנִלְמָ pro וְנִלְמָ. *Comm.* 2. eiusdem capituli desideratur in solo *Bessarionis* Ἦν ante Ἡσαῦ, incuria librarii, sicuti *comm.* 10. αὐτῆ post δεήθητε. *Zeph.* 1, 2. excidit e verbis ἀπό προσώ-

78

\*) in *Opp. Athanasii* T. II, p. m. 162.



πε τῆς γῆς in solo *Bess.* vocabulum *προσώπτε*, *Ion.* I, 1. *κυρίε* & comm. 12. ἐγὼ post *ἐγνωνκα*, male. *Zach.* I, 6. totum *συχὸν*, quem, praeter omnes libros, *ATHANASIVS* <sup>1)</sup> quoque exhibet, omittit, quia sequens eadem litera incipiebat, nimirum *ὅσα ἐγὼ ἐντέλλομαι ἐν πνεύματι με τοῖς δέ-λοις με τοῖς προφήταις*, iam sequitur *οἱ κατελάβοσαν κ. τ. λ.* Simile factum *Obad.* 13. vbi post verba *συναγωγὴν αὐτῶν ἐν ἡμέραι* desideratur *συχος*, *ἐλέθε αὐτῶν, καὶ μὴ συνεπιθῆ ἐπὶ τὴν δύναμιν αὐτῶν ἐν ἡμέραι*, vbi deceptus similitudine vocum *αὐτῶν ἐν ἡμέραι* peccavit librarius; qui quum praeterea saepissime, nullo alio consentiente, articulum minoresque alias particulas omittere solet, incuriam & nimium properandi studium factis prōdit. Interdum etiam alii libri omittendo cum nostro faciunt, quod quidem incuriam non illius qui codicem *Bess.* scripsit, sed antiquioris cuiusdam ostendit. Sic *Ioē* I, 9. omittit cum *Alexandrino* *κυρίε* post *θυσιασηγίω*, male: *THEODORETUS* contra *κυρίω* exhibet, omisso *θυσιασηγίω*, vt est in Hebraeo. In iisdem *Mich.* I, 3. desideratur *καὶ καταβήσεται*, quod non solum in hebraeo sed etiam in reliquis libris τῶν LXX. habetur, agnoscit quoque *ORIGENES*, <sup>2)</sup> sed sequebatur *καὶ ἐπιβήσεται*, pro quo *Complutensis* & cod. *Barberini* etiam alii, monente *DRVSIO*, *ἀναβήσεται*. Ab iisdem abest etiam *Obad.* 4. *ἐάν* ante *ἀναμίσσον*. *Nab.* I, 2. post verba *καὶ ἐδικῶν κύριος*, omittit vna cum *Alex.* & *Compl.* alterum *ἐδικῶν κύριος*; quod in caeteris omnibus exstat, sicuti in Hebraeo. Ab iisdem *Zeph.* I, 5. post verba *τῷ ἔρανε καὶ τὸς* abest *προσκυνῆνται καὶ τὸς*, ob *ὁμοιοτελευτα*; cum iisdem facere videtur *CYRILLVS*, *Hof.* I, 3. denique cum *Compl.* omittit *αὐτῶ* post *ἔτεκε*, vt nunc de aliis taceam. Progreddior iam ad vocabulorum inter se commutationem, quae negligentiam arguit, plurimum illi qui descripsit hunc codicem propriam, interdum etiam cum aliis communem. Et nihil quidem dicam de ordinis verborum conuersione, cum v. c. semper cum *Compl.* habet *ἐν ἐκείνη τῇ ἡμέραι* pro *ἐν τῇ ἡ. ἐ.* aut *Hab.* I, 3. cum *Alex. Barb.* & *Compl.* consentiente *GREGORIO NAZ.*, <sup>3)</sup> *μοι ἔδειξας* pro *ἐ. μ.* aut alia huiusmodi, in quibus adhuc magis ordo conuertitur; neque de scribendi nomina propria diuersa ratione, vt cum habet *Θεμῶν* pro *Θαιμῶν* *Am.* I, 12. vbi *Alex.* & *Mss.* *DRVSII* *Θαιμῶν*, <sup>4)</sup> *Ἐδδω* pro *Ἄδδω* *Zach.* I, 7. *Ἀμαρῶν* pro *Ἀμάριε* *Zeph.* I, 1. vbi *Compl.*

1) Epist. ad Serapionem in Opp. *Athan.* T. II. p. 23.

2) Comment. in Euang. Ioan. in Opp. T. II. p. 306. Ed. *Huer.*

3) Apologet. Orat. I. in Tom. I. Opp. *Naz.* p. 26.



Compl. Γαμαργίου, Auctor synopf. ΑΘΗΝ. κ) vero Αμυργίου; Αβδίου cum multis aliis, pro Οβδία; neque de eo, quod fere semper habet αὐτῆ pro εαυτῆ, ἔτι pro δίατι, semel etiam τι pro ἔτι Joel I, 2. quod Matth. VII, 14. recte sic legitur; sed alia nunc adducam quae maioris incuriae sunt. Joel I, 7. habet ἐξηραύνησεν pro ἐξηρῆυνησεν. Ob. 8. γῆς pro τῆς 18. ὡς pro eis Ion. I, 4. eis pro ἐπὶ, 11. κοπίασαι abfone pro κοπάσει. 16. εὗξαντο pro ἤξαντο. Nab. I, 6. ὑπ' αὐτῆ pro ἀπ' α'. quam lectionem praeter omnes libros tenet etiam SEVERIANVS) Gabalorum Episc. 14. θήσω pro θήσομαι. Hab. I, 15. ἀνεσπάσθη sine sensu pro ἀνεσπασσε Zeph. I, 14. ἔδ' ἐ μὴ, pro ἔδδ' ἐ μὴ. Hagg. I, 10. σέλει pro ὑποσελείται quam Vaticanis codicis lectionem etiam Complutensis confirmat, caeteri ὑποτελείται tenent. Zach. I, 6. ἐ κατέλαβον repugnante contextu sermonis pro οἱ κατελάβοσαν, Comp. οἱ κατέλαβον. 16. ἐπιστρέψατε abfone pro ἐπιστρέψω sicuti 21. ἐπερχόμενα pro ἐπαίρομενα denique Mal. I, 13. προσεφέρετε pro εἰάν φέρετε, vbi Barb. & edit. Aldina προσφέρετε. In quibusdam etiam alios sibi consentientes habet. Sic, quando Obad. 18. pro ὁ δὲ οἴκός Ἰωσήφ, tenet καὶ ὁ, sed male ibi omittit φλόξ; eodem loco etiam alii teste DRVSIO cum Bess. legunt πυρφόρος pro πυροφόρος. Mich. I, 1. cum Barb. & Ald. legitur περὶ pro ὑπὲρ, quam lectionem tuetur quoque Synopf ΑΘΗΝ. 2) ἀκούσατε πάντες quod etiam DRVSIVS in aliis inuenit, pro ἀκούσατε λόγους, pro qua lectione Vaticanis etiam stat ORIGENES, a) at Barb. Compl. & Aldina vtrumque exhibent; sine dubio πάντες e margine aut aliis libris in illas venit, reiiciendum enim est, in eodem commate κύριος ὁ Θεός cum lectione DRVSII & CYRILLO pro κύριος κύριος; alteram tamen vocem omittunt, sed iniuria, Alex. Ald. & ORIGENES. b) 14. cum Alex. & CYRILLO δώσεις pro δώσει. Nab. I, 10. ὡς μίλαξ pro ὡς σμίλαξ Ald. & Argent. ὡς ὁ μίλαξ. Zeph. I, 12. cum compl. ἀνθρώπους pro ἀνδρας. Hagg. I, 5. cum Alex. τὰς pro δὴ. Denique Mal. I, 7. cum Ald. ἐξουθενώται pro ἐξουθενώσατε, vbi Alex. & CYRILLVS ἐξουθενωμένα.

B 2

Hacc

κ) in Opp. Athan. T. II. p. 62.

γ) Orat. III. de mundi creat. in Combessii auct. nouiss. Patr. Tom. I. p. 248.

2) loco sup. cit.

a) Comment. in Ioan. in T. II. Opp. p. 306.

b) loc. modo cit.



Haec de negligentia in hoc codice quoad minores prophetas obuia  
 sufficiant; iam de iis quoque dicendum erit, quae studio, licet non optimo,  
 omiffa aut addita vel etiam mutata videntur. *Hagg* I, 2. desideratur  
 in solo *Bess.* λέγειν post verba ταύδε λέγει κύριος, forsitan quia superfluum  
 visum est librario, simile illi accidisse videtur *Zach.* I, 3. vbi postremum  
 λέγει κύριος τῶν δυνάμεων, quod iam adfuerat, omisit: apud *CYRIL-  
 LVM* prius desideratur. Sic quoque in initio commatis 4. mala sedulitate  
 omiffum est μή. Contra *Zeph.* I, 7. addit κύριος post ἡγάγε, & *Mich.* I,  
 3. idem vocabulum duplicat, inuitis omnibus libris & *ORIGENE.* c)  
*Mal.* I, 8. addit articulum ante πρόσωπον contradicente quoque *CY-  
 RILLO,* d) sed quod pluris est, in eodem capite comm. 7. totam senten-  
 tiam addit, ex commate 12. & 13. desumptam, locum ita exhibens καὶ  
 τὰ ἐπιτιθέμενα βράματα ἐξουθενῶται, καὶ εἶπατε, ταῦτα ἐκ κακοπα-  
 θείας ἐσὶν, καὶ ἐξεφύσησά αὐτὰ, λέγει κύριος παντοκράτωρ. Διότι κ.τ. λ.  
 inuitis libris, praeter *Alex.* qui vnicum vocabulum βράματα addit: *CY-  
 RILLVS* e) quoque haec verba ex ante dictis commatibus allegat, inuer-  
 so modo ordine sic: καὶ εἰσφέρετε τὰ ἀρπάγματα, καὶ τὰ χαλά, καὶ  
 τὰ ἐνοχλέμενα, καὶ λέγετε: ταῦτα ἐκ κακοπαθείας ἐσὶν καὶ ἐξεφύση-  
 σα αὐτὰ, λέγει κύριος παντοκράτωρ. *Hof.* I, 7. addit cum *Alex. Ald.* &  
*CYRILLO* ἔτε ἐν ἄρμασι, pro qua lectione stantem etiam *Complutensem*  
*L. BOS* adducit, negante *DRVSIO:* marginalis lectio, seu nota est; cor-  
 rexerat nimirum aliquis ἵππεσσι vel potius explicauerat per ἄρμασι, quo-  
 niam sic saepissime adest ἐν ἵπποις καὶ ἄρμασι v. c. 4 *Reg.* 5, 9. *Ier.* 6,  
 23. 17, 25. *Pf.* 20, 7 &c. hinc vtraque lectio in quosdam codices ma-  
 nauit, licet ἐν ἄρμασιν neque hebraicus textus, neque vulgata versio, ne-  
 que *THEODORETVS* agnoscat. *Zeph.* I, 5. ante vocem βασιλέως ad-  
 dit cum nonnullis aliis κυρίε, minus recte. Denique *Hof.* I, 10. inserit  
 ante vocem κληθήσονται particulam ἐκεῖ, vna cum *Alex.* & *Compl.* pro  
 qua particula apud *CYRILLVM* est αὐτοί. Certe Paulus ad *Rom.* IX,  
 26. locum Hoseae ita allegat ἐκεῖ κληθήσονται, inde in codicibus quibus-  
 dam additum est. In hebraeo non adest, neque caeteri libri, neque *CLE-  
 MENS ALEXANDR.* f) hanc particulam habent. Ex eodem quoque  
 Pau-

